

Contenta

Formula reformationis

S. Cas. Nris de reatio.

Oratio legatorum regis Galie

Epitaphia et exhortatio regiam

Oratio in duobus

Epitaphia legum

Oratio de reatio

Oratio curie synodali

Regum de reatio

40

fo
6



Oratio de sententia

CHRISTIANISSIMI REGIS,
scripta ad Serenissimos, Reuerédissimos, Il-
lustrissimos, Excellentissimos, Magnificos,
Spectabiles viros, vniuersósque sacri Impe-
rii ordines Spiræ conuentum agentes.



PARISIIS,

Ex officina Rob. Stephani typographi Regii.


M. D. XLIII.

Cū priuilegio Regis.

Commandé de par

le Roy a Robert Estienne son imprimeur d'imprimer ceste oraison . Et defenses a tous autres imprimeurs, & libraires de ne limprimer, ne faire imprimer, ne distribuer, ou vendre autres que par luy imprimées, tant en latin quen françois, si aucun s'ingeroit de la traduire.

II. de Mesmes.



Ioannes Cardinalis

Bellaius Episcopus Parisiensis, Franciscus Oliuarius in Senatu Parisiensi Præsiciens, & Africanus Malleius Balliuus Diuionensis, Legati Regis Christianissimi, Serenissimis, Reuerendissimis, Illustrissimis, Excellentissimis, Magnificis, Spectabilibus viris, vniuersisque sacri Imperii ordinibus Spiræ cōuentū agētibus S.



TINAM, Amplissimi ordines, nō tam valuisse quorundā in isto Germania longè frequentissimo conuentu auctoritas, vt quæ à Rege & nomine & re ipsa Christianissimo ad vos mādata de summa Re-

pub. habebamus, ea perferre, inauditavi quadam, & more inter homines maxime barbaros, nedū Christianos, nunquam antea recepto prohibiti essemus. Nisi enim vestrā aliquorum humanitatem illorū acerbitas, vestrā modestiam eorū im potentia superauisset: eratis profecto ea de iis malis, quæ hoc tempore vniuersum terrarū orbem complectuntur, paruo temporis momēto de nobis audituri, quæ neque pronuntiata à nobis esse,

neque à vobis suo tēpore intellecta, erit aliquando (nisi nos Dei bonitas respexerit) non vobis modo ipsis, quibus natura nō eandē concessit ætatis & animorū æternitatē, non vestris liberis, ac nepotibus: sed nostris quoq; sed omni Christianorum posteritati maxime dolendū. Nos certe quos cū Reip. charitas, tum Regis obseruantia, cōmunis huius vitæ rationem habere prohibuerat: effeceratque, vt omni posthabito periculo, per infestos hostium gladios, atque insidias, ad vestros vsque fines, ipsūque prope conspectum periremus, vestra freti æquitate videlicet, vestraq; veteri illa cum germanitate, tum libertate: quid nunc ab amicis & fœderatis exclusi, quid nostra omni de vobis spe deiecti moliamur, quid capiamus consilii, non satis perspicimus: præsertim quū & insperato nos id malum perculerit (quis enim hoc aut sperare vnquā potuit, aut vlla ratione prouidere?) & explorādæ in tā acerbo nuntio Regiæ voluntatis facultatem hinc temporis angustia nobis ademerit, inde hostiū iniuria per summum nefas eripuerit, qui & vias circumquaque omneis obsident, & nos ipsos his moenibus quibus continemur, pedem efferre non sinunt. Quid, quòd ipse caduceator & sanctus & pacificus, qui Regis nomine literas cum Cæsari tum vobis ipsis redditum iuerat, quibus literis aditus nobis ad vestrum conspectum quæreretur, ab iis

qui vestræ libertatis sese studiosos prædicant, sic est acceptus, quasi patriam vestram non recreatum, sed inflammatum venisset? Quasi vero non satis esset, tot itineris pericula, vestra in primis causa, hoc est vestræ quietis, vestræque salutis curandæ gratia, eum adiisse, nisi post blandas supplicis que appellationes, vix tandem cum incredibili minarū acerbitate, cum crebra carnificis ac supplicii ostentatione, denique cum atrocissimo responso tremēs, ac prope exanimis dimitteretur. Ne tamen hac rerum difficultate animum despondisse videremur, causamque vel priuatā Regis ipsius, quæ nobis apud vos credita fuerat, prodidisse: vel vestram etiā, quam præcipue tractaturi eramus, deseruisse: nobis omnia animo lustrantibus illud tandem venit in mentem, quod viros olim sapientissimos fecisse legimus, quum è ciuitate, de qua erant optime meriti, eiicerentur: vt quæ suis ciuibus de Repub. propter inimicorum impotentiam coram exponere prohiberentur, ea ad ipsos quoquomodo peruenire curarent. Ita quæ vobis coram exposaturi eramus, eo cōsilio vt inde ad ampliora quædam (si res ita tulisset) aditus patefieret: ea dedimus operam vt verbis iisdē, quibus concepta à nobis fuerant, ad vos, si fieri vllō modo posset, proferretur. tamen si non nesciremus vel rerū ipsarum argumenta, vel res ac sententias ipsas. nouis quibusdam & paulò

breuioribus commentariis facilius nos comple-
cti potuisse. Verum ab ea nos cogitatione illud
auertit, quòd ne hac quidem parte volumus ad-
uersariorũ patère infidiis: quo verbo quid signi-
ficemus, diuinare per facile potestis, qui istorum
morem & ingenia iam estis pridem maximis ve-
stris incommodis experti. Nudam igitur ipsam
orationẽ atque simplicẽ, qualem de Regis Chri-
stianis. mente desumptã adferebamus, visum est
ad vos mittere: tantũque in ea mittẽda inter-
ponere temporis, quantũ sibi ad eam describen-
dam librarius minime piger depoposcisset. Sic e-
nim denique aduersariis omnem calumniandi
viã præclusisse videbimur: qui si iactauerint con-
fictam eam derepente fuisse, & ad nostras ratio-
nes accommodatam, facile cum summis nostri
tẽporis angustiis, tum grauissimis amplissimo-
rum virorũ testimoniis refelli poterunt. Ad hu-
ius autem sensum orationis (si quidem oratio ap-
pellanda est, simplex & minime fucata rerũ ex-
positio) si illam ingeniorum aciem quã in pleris-
que vestrum summa elucescit, acriter intenderi-
tis, facile & earum calamitatum, quã Rempub.
hodie vexãt, imago sese vobis subiecerit: & Regis
Christianissimi ad eas depellendas egregia quã-
dam & prope diuina voluntas apparuerit: quam
ipsam quandoquidem vt ex animi ipsius senten-
tia vobis coram exponamus, nulla possumus ra-

tione impetrare: officii nostri esse duximus cum
in ipsum Regem, tum in vniuersam Rempub.
testatum hîc vobis quocunque licuit modo relin-
quere, nihil eum quod vel ad vestrâ salutem per-
tineret, vel ad communem Christiani nominis
quietē, prætermittere voluisse. Deū Optimum
Maximum quæsumus Amplissimi ordines, vt ve-
stris animis ea consilia, eas cogitationes inspiret,
sic vniuersæ Reipublicæ salutare, vt ea incolumi
& honestissima, (quod hoc rerum statu minime
nobis sperandum est) quamdiutissime frui vtri-
que possimus. Nantii, III. Non. Martii. Anno à
CHRISTO nato, M. D. XI IIII.

Legatorum Christiania-

nifis. Regis oratio scripta ad Serenissimos, Reuerendissimos, Illustrissimos, Excellentissimos, Magnificos, Spectabiles viros, vniuersosque sacri Imperii ordines Spiræ conuentū agentes.



Erincommodè nobis accidit, Serenifis. Reuerendissimi, Illustrissimi, Magnifici, Spectabiles viri, quòd quū à Francorum Rege missi essemus, de rebus maximis, & vobis Reiq; publicæ Christianæ per-

necessariis apud vos verba facturi, acerbissimos de eius & erga Rempub. & erga vos ipsos fide rumores, de quibus adhuc in itinere positi in audieramus, postquā huc frequentes conuenistis, plus apud quosdā valere intelleximus, quàm adhuc opinione percepissemus. quod vulnus in eius causa, quam tractaturi sumus, viscera receptū, dici non potest, quantā attulerit nostris animis perturbationē. Nam quum permultæ res sunt, quæ omnem Legatorum gratiam facilè conuellant, hæc verò est potissima, quum pro eo dicendum est, qui de sua existimatione grauitè apud audi-

tores laboret. Quare ab ipso statim exordio venia à vobis petēda est, Viri humanissimi, quòd de nostra oratione, hoc est de iis rebus, ad quarum narrationem nos de Regis Christianis. voluntate comparaueramus, partem aliquam refecātes, ea substituere cogamur, quæ propria sunt criminum excusationi: illam autem quæ superfit, sed propius Reip. rationes attingat, in ipsum orationis calcem referuemus. Vtrūque enim nobis imponere videtur, hinc amici vobis ante omnia re cōciliandi ratio, inde vestrarum occupationum, quibus tales Legatos non inseruire turpe sit, magnitudo. Neq; verò id à vobis quoq; est, Viri optimi, mediocriter petendū, vt quoniam nos, ita vti diximus, à nostro, & meditato orationis cursu subito depulsi, diuerso argumēto ad aliud quoddam, & propè extemporaneū dicendi genus necessario delapsi sumus, vos siquid minus aut cultum ingenio, aut industria elaboratū huc attulerimus, eo libentius ignoscatis, quòd vt summa quadā dicendi facultate præditi essemus, qui intra mediocritatis laudē consistimus, tamē in eas temporis angustias sumus coniecti, quæ vel optimo cuiq; oratori sint pertimescēda. Id si à vobis pro vestra humanitate, germanoq; isto animorum candore impetrauerimus, tum illud nos assequutum iri apud vos ipsos, quāuis aliorū præiudiciis occupatos, confidimus, vt ex nostra ora-

tionē, & omnē de Rege amico, cōsanguineo, ve-
tustis. fœderis iure vobis coniuncto, suspitionis
offensionē facilè deponatis, quod est hominibus
Christianis dignis. & cū ad vestri otii rationem,
tum ad religionis constitutionem viam munire
possitis, quod hoc tēpore adprimè vobis est ne-
cessarium. In his autem explicandis rebus, iisque
refellendis criminibus, quæ nos in Regis gra-
tiam oportet refellere, quæcūque hîc dixerimus,
in eam partem quæso accipiatis, vt non lædendi
causa (neque enim quenquam nostra sponte læ-
suri sumus) verum tuenda eorum innocentia,
qui à culpa lōgissimè absunt, ea nos in medium
attulisse existimetis: vtique quoties nobis tritum
illud aduersariorū nomē in ore versabitur, ne il-
los (siquid fortè erit acerbius) peti iudicetis, quos
authoritas cum vestra, tum sua ipsorum ab om-
ni contumelia vindicat: sed eos potius appel-
lari, qui & sinistra cuiusque de Rege suspitionis
authores illis fuere, & huius, quam vobiscū exe-
cramur, Reip. perturbationis. Qua in re si vobis
paulùm modo attētis, beneuolisque vtemur, ne-
mini obscurū esse poterit vnde ægritudo illa quæ
totū Reip. Christianæ corpus occupauit, origi-
nem duxerit, incrementū acceperit, vires acqui-
suerit: tum autē longè facilius vobis apparebit cu-
ratio, quorum est in primis egregia voluntas, &
summa in ea re potentia. Bellum igitur (vt in-

de ordiamur) post hominum memoriam maximum, atque in omneis orbis partes quam latissimè propagatum videmus. De eius initio non ambigitur: recens est enim, de origine, de causa, de auctore, de tota denique eius ratione variè inter multos, pro cuiusque vel sensu, vel animi affectu disputatur. Ita fit, vt tradendis eius belli auctoribus, eoque reprehendendis, variæ sint profundiis partium sententiæ. De cæteris orbis partibus non deerit nobis suus ad dicendum locus: de Germania verè hoc dicere possumus, & omni asseueratione affirmamus, quòd illa hodie penè omnis fluctuet, quòd foris, hoc est in suis finibus, bello: quòd intus dissensionibus vexetur, nemini esse quàm Regi Christianis. acerbius, Quir enim non illi doleat, lacerari in ipsius penè oculis atque conspectu, regionem orbis terrarum nobilissimam, vnde ipse genus, vnde originem traxerit: quam primùm priuatus, post ad Regni fastigiũ euectus plus mortalibus reliquis coluerit: pro cuius dignitate, ipsius maiores tantũ periculorũ adierint, tot bella gesserint, toties depugnauerint: pro cuius libertate, nũquam suis opibus, nunquam suo sanguini pepercerint: Neque hæc de prouincia tantũ Germania, ac Germanica in vniuersum natione dicimus, qua euerfa, natio Gallica salua esse nõ possit: de ipso Imperio, de ipso inquam vestro hoc imperio, hoc est,

de vestra dignitate, deque vestra libertate dici-
mus, Viri maximi, atque inuictissimi, qui ipsi re-
gendo Imperio, vnà cum his Augustissimis Cæ-
saribus hîc præfideatis. Nâ Carolus magnus idem
Gallorum parens, & idem vester, omnium con-
fessione afflictû illud, propèque collapsum vnus
erexit: vnus è Græcia, vbi exulabat abiecta eius
dignitas, nō minus fortiter huc, quàm foeliciter
inuexit. Nunc igitur partam tot suorum labori-
bus & periculis dignitatem vobis extorqueri, il-
la vestra maiestatis iacta à suis maioribus funda-
menta conuelli, Rex maiorû suorum summus
admirator, institutorû, quæ ab iis profecta sint,
tenacissimus obseruator voluerit? Cur ita tandè?
Qua per Deû immortalē aut vestra iniuria com-
motus, aut sua vtilitate adductus, de vestra perni-
cie cogitare debuit? Quis vnquā vel in media bar-
baria natus, vel inter gentes efferatissimas educa-
tus, nō ad amicorû miseras ingemuit: aut si tam
fuit ferreus, vt ingemiscere nequiret, tamen eorû
calamitatem, gratis, & nullo suo cōmodo appeti-
uit? Quid si ostenderimus, vestrā perniciē nō so-
lùm Regi profuturam nō esse, sed multo ei plus
quàm cæteris Christiani nominis regibus obfu-
turā? Omittimus illa cōmunia, tempestatis vim
quæ in finitimorû agros incūbat, ex quadā velut
contagione tibi pertimescēdam: tunc rem tuam

agi, quum ignis vicino parieti sit immiffus, at-
que eiusmodi quamplurima: dicam ea quæ pro-
priè ad nos ipsos, hoc est ad gentem Francicam,
ad ipsùmque Frâcorum caput pertinēt. An nos
hoc nescire putatis, nullam procellam post ho-
mines natos in Germaniam ingruisse, quæ non
cōfestim ad nos perueniret? Fuere patrum me-
moria, qui Galliam debellarent, vincerēt, oppri-
merent, abstinere tamē à Germania cogerētur:
qui Germaniam vicerit, qui non idem Galliam
quoque subegerit, nemo adhuc inuētus est. Quid
ita? nostrum hîc nō est dicere, ne vel vestra lau-
di nimiū assentari, vel detrudere maiorū nostro-
rum virtuti videamur. Attamē neminē latet, mi-
nimèque omnium Christianissimū Regem, qui
tū in rebus gerendis annos plus triginta exerci-
tatus, tū omnis vetustatis est peritissimus, quan-
tum sibi periculi, quantū liberis, quantū patriæ
(quæ ei vita ipsa est charior) impēdeat, tētata se-
mel Germaniæ libertate, ne dicā euerfa. Intelle-
xit iam pridē (vt est historiæ Germanicæ, nō mi-
nus quàm Gallicæ studiosissimus) maiores suos,
quum vtrique prouinciæ imperitarent, diligēter
cauisse, suū vt ius Galliæ, Germaniæ sua libertas
constaret: neque ab re ingētis vtriusque finibus,
& ad ipsius Rheni ripas viros aliquādo colloca-
se vtrique genti sacrosanctos, qui & Imperii ma-
iestate, & sacrorum religione patriam in officio

vt rinq̄ue continerent, eſſentq̄ue Gallia iuxta ac
Germania præſidio ac ſaluti. Quid ſi nũc Fran-
ciſcus quacunq; ſinibus ſuis propugnacula, quaſ-
cunq̄ue arces Pipini, Ludouici, Caroli, illa orbis
miracula poſuere, volẽs ipſe, ac ſciens reſcindat,
diſſipet, conuellat, non eum inſanire dicatis? Sed
non inſaniet, nõ deſipiet, nõ hoc molietur, quo-
modo veſtra libertatẽ oppugnanda ſuam ipſe e-
uertat, ſibiq̄ue ac ſuis ruina periculum t̄ruat.
Equidem non exiſtimamus quenquam eſſe (eo-
rum duntaxat, qui Chriſtiano nomine cenſen-
tur) tam proſtigatũ, tam ab omni honeſtate re-
lictũ, vt veſtram illam libertatẽ labefactatam
velit, iũſq̄ue, & nomen auguſtiſſimi huius Impe-
rii, quod vos ſuſtinetis, imminutum. ſed ſi fortẽ
eſt quiſpiam, is proculdubio Franciſcus non eſt:
nullius enim (nobis credite) vel quieti, vel etiã ſa-
luti minus id cõducit. Dicat aliquis, nõ fatiſ eſ-
ſe, turbare nõ debuiſſe, Regem Francorũ oſten-
dere: non turbatſe, doceri oportere: propterea
quòd inuenti aliquando ſunt, qui in ſe, ipſi ſæui-
rẽt, nedum manus ab amicis, & neceſſariis abſti-
nerent. Quã ſi vox, Viri ampliſſimi, loci tantun-
dem apud vos habitura ſit, quãtum apud rerum
impericioſes ſibi vendicaſſe dicitur, cõditio cer-
tẽ nobis durior imponitur, quã vt veſtra æ-
quitas hoc ferre queat, vel uſu ac moribus adhuc,
ne inter priuatos quidẽ, ac litigantes in foro fue-

rit receptum. Semper à maioribus obseruatum
audiuimus, quoties accidit in ius aliquem vocari,
vt summo iure cum eo agatur: qui reum egerit,
qui vel capitis, vel famæ arcesserit, necessitatē illi
probandi impositā: huic inficiandi potestātē da-
tam. Nos (vt penitus in causam ingrediamur) hoc
nomine ab aduersariis apud vos infimulamur,
nec infimulamur modò, sed apertè, sed vehemē-
ter, sed atrociter impetitur: quòd quæta quum
esset, velutique in portu, aut statione Resp. Chri-
stiana, eam in vastū bellorū ac seditionū pelagus
coniecimus, quòdque gentē Turcicam Chri-
stiano infestam nomini, in eandem Remp. im-
miserimus. Si nihil eiusmodi nos non modò fe-
cisse, sed ne cogitasse quidem dixerimus: si Regi
propinquo, ac foederato vestro id vnquā in men-
tē venisse negauerimus: si nos ad ea quoties obii-
ciētur refellēda obtulerimus: quid est quod præ-
terea vel nostri accusatores à nobis exigere, vel
vos de Regis nomine, atq; existimatione grauius
statuere possitis? Sed non erimus vobis tam im-
portunè in tergiuersando molesti: neque in tan-
tis occupationibus, quantas res vestra recipiunt,
sic astutè causam tractabimus, quasi videamur,
diem dicendo eximere voluisse. Quare & causæ
ipsius bonitate, & vestra freti æquitate, non dubi-
tabimus, de nostro omni iure illo, quod defen-
soris est proprium, decedere, quo vobis rei perno-

scendæ cupidis, veritas ipsa nuda, atque aperta sta-
tim appareat. quæcunque enim Christianissimo
Regi obiecta apud vos esse, memoria nobis sup-
peditarit, ea quantum per modestiam licebit, in
præsentia refellemus: de cæteris, quæ cæco quodã
rumore circumferuntur, non ita valde laboramus:
siqui tamẽ sunt, qui se authores profiteri velint,
prodeant: detur nobis senatus iterum, regnet in
hoc sanctissimo orbis terrarum cõsilio illa, quæ
regnare debet, æquitas, rectum illud animorum
iudicium locum sibi vèdicet: nisi tenebras, si quæ
artibus nescio quibus vestris fortè mentibus ob-
ductæ sint, depulerimus: nisi calūniæ præsidia de
veritatis arce deturbauerimus, facillè patiemur
eo apud vos loco haberi, quo istos spero habebi-
tis, si aut certamẽ istud detrectauerint, aut ex æ-
quo nobiscum contendere recusauerint. Primũ
igitur dicimus, hoc maledictum, quod ab aduer-
sariis crebrò iactatur, Regem Christianis. bellũ
in Rep. bis excitasse, minimè in eum conuenire.
Neque enim si arma initio laceffitus, pro patriæ
salute suscepit: si eadẽ illa de manibus abiecta, ali-
quanto post repetere coactus est, continuò carũ
tempestatum, quæ Remp. exercēt, author appel-
landus est: nec veremur quominus re per vos in-
tellecta, ipsum hoc crimine facillè sitis liberaturi.
Ignoscendũ verò hic nobis maximè est, Viri hu-
manis. si in iis rebus commemorandis, quas nisi

præuaricatores simus, præterire nõ possumus le-
uiter eos viros, quos & veneramur ipsi, & quorũ
nomen vobis iure est sacrosanctum, perstrinxẽ-
rimus. Vtinam Cæsar, vel huius initio belli quod
adhuc viget, tua illa in Sabaudia Ducem indul-
gentia, in armis aduersum Regem affinem tuũ
capiendis non fuisset: vel illis postea Pauli Pont.
Max. opera intermissis, ipsum Regẽ ad ea reuerti
tuorum scelerata audacia non compulisset: ma-
neret hodie, maneret illa toties inter vos data,
acceptaque fides, illa iurisiurandi religio, illa con-
iunctio animorum: nec esset tanto bonorum o-
mnium mœrore, tanto Reip. malo labefactata.
Nam aliud profectò, nisi contumeliæ acerbitas,
labefactare illam nõ poterat, quæ tam firma es-
set, quæ talem se, & tam illustrem omnium ocu-
lis iam iterũ exhibuisset, quæ eos plausus, eas ac-
clamations, eam hominibus Reip. cupidis ala-
critatẽ attulisset. Quis est enim, cui si propona-
tur tuus ille Cæsar in Narbonensem Galliam pa-
cificus adpulsus, nõ omnibus gaudiis exulteret? Cõ-
trà, si ostẽdatur calamitas, ex ista inter vos subor-
ta immutatione, in orbem terrarum inuecta, nõ
ad eã ingemiscat, non perturbetur? Quod ad nos
attinet, quoties subit animos nostros temporis
illius recordatio, quo tempore visus est Rex ma-
ximus è continente ad tuam classẽ stadia qua-
tuor in scapha adnauigare, tu confestim è trire-

mi in scapham desilire, in eius munitissimum oppidum inermis, incomitatus ingredi, fraternè ilico, nedum amicè inter vos conuenire, vnam de officiorum mutua gratia esse contentionem: & huius miseras temporis cum illius foelicitate cõparamus: non possumus nõ valde commoueri. Quis enim non libenter intueatur, duos orbis terrarũ potentissimos principes, vno Dei clemētissimi (vt erat credibile) adlatu repente inimicitiarum oblitos, de optimo Reip. statu, de eius perpetua quiete, tam familiariter, quàm tunc fecistis, inter se colloqui, mala præterita abominari, optimè in posterũ ominari? Quũ hinc soror tua tœmina sanctissima, viri pene aduoluta genibus, lachrymis effusis, quas illi lætitiæ magnitudo expresserat, nunc fratri suam fidẽ, nunc marito suũ candorem, vtrique suam pietatem gratularetur: inde Francisci soror, vt sanctitate morum tuæ sorori comparanda, ita præstantia ingenii cæteris facile anteponenda, sic te obseruaret, vt controuersia, quæ de Regno Nauarræ summa est, oblita videretur? Quum te Regis liberi paternæ in Remp. fidei perpetui obsides, nunc tanquã orbis terrarum principem colerent, nunc veluti parentem alterum venerarentur? Quum denique quicũque aderamus arctissime inter nos cõplexi, istam nostrorum principum amicitiam, illas Bellonæ ac Martis (vt tũc rebamur) exequias

votis omnibus prosequeremur? neque verò fuit
inexpectatus quidem ille amicitiae radius, cuius
nobis cōspectum exortae repente nebulae adime-
rent: neque parua sui diu potiundi spe, nos im-
pleuerat, quòd biennium totum sese maius in-
dies, ac praclarior orbi ostenderit, quàm initio
exhibuisset. Vestrum enim neminem latere arbi-
tror, posteaquam vtrinque discessum est, vt nullū
praetermiserint tempus amicè inter se salutandi,
placidè appelladi, omnibus officiis, omni huma-
nitate sese inuicem prosequendi (mirum id for-
sitan vobis videbitur, quod verè dicam, nec hy-
perbolicè) consilia etiam pleraque omnia inter
se per familiariter communicandi. Nam vt il-
la attingam verius, quàm commemorem, quae
sunt recētibus adhuc vestigiis in hominum me-
moria impressa: quae maior vnquam visa est vel
inter fratres, vel inter parentes, ac liberos volun-
tatum paritas, quàm toto illo per Galliam Cæ-
saris itinere inter istos fuerit? De Rege per san-
ctè cōfirmare hoc omni vobis asseueratione pos-
sumus, eum de rebus ad se duntaxat pertinenti-
bus nihil Cæsarem celauisse: de plerisque etiam,
eius consilium sequutum esse. Misit Marchio-
nem Vasti ea tempestate Venetias Cæsar, qui de
rebus grauissimis ageret: iussus est Ennebaldus in
subalpinis gentibus Prorex eò quoque vnà profi-
cisci, quae Vasto è Rep. Christiana esse videretur.

iis assentiri: siue ea nominatim agerentur, quæ res Oriëtis respicerent, seu ea quæ intra nostros ipsorum cardines verterentur: & sic iussus est, vt ad Vasti sententiam, hoc est ad Cæsaris arbitriû, omnia referrentur. Fuere alibi alia vel dicta, vel agitata, vel facta, quæ sic ad ipsum (vt ita dicam) nutû Cæsaris, Rex sui hospitis cultor benignissimus accommodauit: quasi non iam Franciscus regni Francici habenas regere, sed illas Carolus pro iudicio suo flectere, ac reflectere videri posset. Omitto gratulationes, supplicationes, pœpas, ferias, summum illud Regis studium, ac diligentiam, nequid quomodocunque forte accideret, quod amici animum vel angere posset, vel leui aliqua offensione adficere. Neque illud sanè mediocri fuit omnium voluptate acceptum, quòd spectaculorum quippiam quum artificis errore, male successisset: dicereturque Cæsari aliquid perturbationis incommodæ attulisse: suborta est insignis quædam, ac memorabilis inter duos principes cõtentio, quum Rex ad rei nuntium commotus, miserum artificem ad supplicium rapi iuberet, Cæsar cõtrà niteretur: iretur interim vltro citròque, & apud alterû dolor, amoris, ac officii plenus locû libivendicaret: apud alterû vigeret cum misericordia cõiuncta humanitas: atque id veniret in controuersiam, quod ingresso Galliam Cæsare vsque à finibus Hispaniarum non venerat, vt in reo liberando, de

summa Gallia potestate inter istos contendere-
tur. At enim fuit illa perbella quaedam inter vtrū-
que foris amicitiae simulatio, intus inimicitiae la-
tebant. Non ita est Viri amplius. itaque mihi cō-
tingat Deo uti propitio, uti ego de altero persua-
sum habeo, de altero etiā penitus cognitū cādo-
rem illum, qui in amborum vultu, in sermone,
in ore se ostēdebat, fuisse in ipsorum animis, at-
que intimis sensibus penitus defixū. Quid ergo
est? Dicam plane, neque me, quominus id faciā,
eius personae, quam vnā cum his clarissimis viris
collegis meis sustineo, ratio deterrebit. Equidem
existimo Viri sapientis. Deum Opt. Max. tanto-
rum scelerum, quibus vrgemur, perpetuāque no-
strae in se impietatis pertasum, facile passum esse
homines & rerum nouarum cupidos, & seditio-
nis amātes, id facinoris audere, quod facinus isto-
rum principum alterum ad vltionem accende-
ret, alterum ad iram: nos miseri de publicae quie-
tis, & sempiterni otii arce, quam antē obtineba-
mus, illorum odiis deturbaremur. Tua illa Caesar
à multis deprædicata, nobis facile aliquādo per-
specta virtus, animiq; moderatio: ille Regis Chri-
stianis. candor nemini non satis cognitus, illa
integritas, nos aliter de vobis apud nos statuere
minime patiuntur. Sed ut aliquando ad rem re-
deamus, summatimque (diserte tamen, ut sumus
polliciti) respondeamus iniquorum vel calum-

niis, vel ceteris maledictis: De huius belli primis
initiis, cuius (ita vt dixi) nomine apud vos, Viri
maximi, in inuidiam rapimur, nihil est quod ad
ea adiiciamus, quæ vobis quandoque in Ratispo-
nensi conuentu, post hic Spiræ à Regis oratori-
bus demonstrata sunt. Hos enim vobis comme-
morasse audio, vt Rex Christianiss. postquam cre-
brò ad Sabaudia ducem, ius suum, hoc est hæ-
reditatem quæ ad se pertineret, repetitum misis-
set: quum totum decennium nullū tempus, nul-
lam rationem prætermisisset ipsius interpellan-
di, nec quicquam tamen impetrasset: postquam
ab eodem duce etiam se vltro laceffitū, suorum
equitum turmam nondum etiam renuntiata a-
micitia, per insidias circumuentam, concisam vi-
disset, insignia sceptri Gallici iis locis, quæ maio-
res ne attingere quidē audebant, passim per vim,
& contumeliam detracta audiuisset, ad extremū
sibi ad arma cōfugiendū duxerit: quæ sic tamen
tractarit, sic se in illis gesserit, vt neminē, vno ex-
cepto duce, læserit: nemini, ne Casari quidem ipsi
nocuerit: cuius duces, inque iis Antonius Laui-
anus, qui Mediolanū cū imperio obtinebat, haud
obscurè Sabaudis nō fauerant modò, verū homi-
nē satis alioqui in æquo bono denegando perui-
cacē, tamen peruicaciore suis promissis, suis opi-
bus, ope, authoritate, milite, redderent. Audistis
etiā quanta tum fuerit nihilominus eiusdē Regis

animi moderatio, vt ab agro omni Mediolanēsi, qui suus & esset, & sibi pateret maximè, tāquam à re sacra sese abstineret: vt de recōciliatione (si qua modo intercesserat illi cū Cæsare offensio) cum per suos oratores, tum per virū clarissimum Cardinalem Lotharingū, quin & per Pōtificem ipsum Max. toto illo tempore serid, ac sedulo egerit. Meministis autem vt derepente quadripartitō terra, marique, præsertim duobus post hominum memoriam maximis exercitibus sic petitus sit, propius vt nihil fuerit, quàm vt opprimeretur, antequam spatii satis ad se colligendū, ad vires comparandas, ad munienda oppida, ad conscribendos exercitus haberet. Quare ea, quæ vobis tam nota opinor, quàm quæ sunt notissima (partim enim vidistis ipsi, partim, vt diximus, ex aliis audistis) in præsentia nō repetemus: præsertim quum ne ii quidem, qui acerrimè causam aduersariorum tuentur, eius belli cum Cæsare initia Regi adscribant: satisque habeant hoc tempore, ei obiicere altero capite suæ accusationis, quòd extinctas eius incendii faces exuscitauerit, pactas cum Cæsare & sanctas inducias violauerit. Qua in controuersia, si vsitatum quoddam certaminis genus subirem, æquiore certè animo causam hanc omnem in discrimen deducerem. Nunc verò quum is, pro quo nunc depugnare cogimur, velit ea lege certari, vt inimico-

rum petulantiam alia re nulla frangamus, quàm modestia: ab omni paulum modò atrociorē dicto abstinēamus: quàm hāc securim iniecisse putatis defensionī apud vos suæ: Quid enim hac re aliud fecit, quàm nobis sui defensoribus arma de manibus excussit? Nam nisi id fecisset, id est, nisi nos in hostem tela omni impetu vel vibrare, vel regerere noluisse, nisi in ipsius arcē calumniæ penitus inuadere prohibuisse, Deus immortalis, quæ nobis esset dicēdi copia ex aduersariorum maledictis subministrata: qui essent orationis aculei, quos in istos defigeremus, suppeditati? Verum quia gerendus ei mos fuit, cōplura ad calumniæ confutationē propè necessaria cōpressimus, sed ita cōpressimus, uti mucronē vagina recōditū: in quo stringendo, si rex iusserit, aut si aduersariorū nos importunitas coegerit, nullam moram sumus interposituri. Interim ea in primis proferemus, quæ quia sunt omnibus notissima, minimè accidet iis viris, qui sunt apud vos in honore, de improviso commoueri. Hoc enim isto accusationis capite tātum defendemus, quicumque ii sunt, quorum, ut suprà diximus, sceleris atrocitate, & magnitudine contumeliæ Rex ad arma reuerti coactus est, iis potius violatarū induciarum culpam assignari oportere, quàm in hunc reiiciendam. Quid faceret Rex nobilissimus, quum viros dignitate conspicuos, suos Le-

gatos, illustri apud se loco, dum iter in p̄cato faciunt, crudeliter contra ius gentium interfectos audiisset: non excandesceret: non vlcisceretur: non p̄nas sceleris reposceret, quacunque ratione repetere se posse arbitraretur: an potius periculum honoris, atque existimationis non adiret modo, sed eius perpetuam iacturam faceret: Ecquæ tandem fuit vnquã natio in terris, quæ non suos legatos, non dicam interfectos nefarie, sed violatos, sed pulsatos perinde vltā sit, atq; parentū, aut liberorū solemus iniurias: Verū hac in re nō deesse dicuntur, qui eam religiosius tractādam fuisse existiment, putentque omnem hanc iniuriam condonari Christianæ Reipub. oportuisse. Quasi verò si Res ipsa publica loqueretur, iuberet Regem ea inter ceteros dignitate, ea apud omnes mortales opinione, tale in se recipere ad posteritatis memoriã ignaviæ exemplum, quale si è vestra nobilitate priuatus quispiam recipiat, non pateat illi posthac, ne ad infimos quidē militiæ ordines aditus: quasi inquam vellet eadem Resp. nostra ista patientia, & tacito quodā cōsensu hunc morem in nomen Christianū introduci: vt per cuius fines iter exteri legati facere inueniantur, ab eiusdem milite ad hanc rem comparato, palām, in luce hominū, impunè trucidentur: iis autem interfectis, ad miserarum coniugum ciulatus, ad infantium liberorū, quales erant

istorū, vagitus, ad illas innoxii sanguinis lachry-
mabiles voces eius Regis aures occludantur, cu-
ius ignominia, hoc fuerit sanguine litatum. An
vos hoc viri nobilissimi, Rēp. voluisse, an ipsum
Reip. caput C H R I S T V M hanc hominibus le-
gem sanxisse putetis? Triennium ante hanc cæ-
dem Frāciscus Sfortia Mediolani tyrānus, in re-
gione eadem, eodem propè exemplo, Marauil-
lium Regis eiusdem apud se Legatū, qui frequēs
illi & assiduus interdū esset, de media nocte in
suo lectulo comprehensum occidi, eius cadauer
postridie proiici in forū in Regis contumeliam
iusserat. Nemo Christianorum Regum, nullus
princeps, nullus aliqua dignatione vir inuentus
erat, qui, quum ad sese hoc exemplum (quādo res
ita ferret) pertinere facile intelligeret, inauditum
hoc, & incredibile facinus acerrimè vindicandū
non arbitraretur: quique Regem Christianis. ad
arma non hortaretur, vno excepto Cæsare, cuius
in fide Frāciscus Sfortia esset, cuique sororis suæ
filiam paulò antè in matrimoniū dederat. Cœ-
pit igitur Cæsar à Rege ea re grauitè commoto
omni ratione, precibus omnibus, omnibus pol-
licitationibus contendere, (causam Reipub. suis
precibus prætexens) vt sceleris vltionem in suum
ex Africa reditū, quò se comparabat, differret: &
ita contendit vt impetraret. Quid enim tum il-
lo pietatis nomine, tum altero necessitudinis.

Cæsar à Rege, & amico, & Christiano nõ impe-
traffet? vel quid potius semper ab ipsis & ætatis &
amicitiæ incunabulis nõ impetrauit? Interim ty-
rannus moritur, & moritur summo nostro do-
lore, quibus vlciscēdæ iniuriæ ratio omnis adem-
pta esset: magno autem Cæsaris commodo, qui
illo superstitē in Mediolani possessionē nondum
penitus se immiserat. Quis non hoc faciliè iudi-
cet, Viri prudentissimi, si tam acriter perfecta es-
set vltio, quàm fuerat diligēter suscepta (iã enim
moturus erat Rex, iam progressurus, quum istis
precū & amicitia cōpedibus retētus est) quis non
inquam iudicet hanc posteriorū Legatorū cæ-
dem, de qua nunc tantopere laboratur, superio-
ri successurā nõ fuisse? Illa enim profectò poste-
riori huic veluti gradū fecit, ad hancq; molien-
dam impuris hominibus animos, atq; audaciam
sumministravit, neq; ad eam solum, sed ad alias
porrò cædes ex aliis ferendas, veluti semētem, ac
materiam præbuit, maiorem item indies præbi-
tura, nisi hãc vlcisci velle Rex apud se statuisset.
Sed exoptulare primùm debuit, sed admonere,
sed tentare potius omnia, quàm ad arma decur-
rere. Ille verò non admonuit? non exoptulavit?
Testis est hæc ipsa Germania, in qua agentem id
tēporis Cæsarē Frãnciscus aliquãdo tum suis pro-
missis, tum loci genio, ac religione adductū exi-
stimavit, animum adiecturū fuisse ad facti ani-

mauerfionē. Et credo adieciffet, vel fua fpon-
te, vel veftris impulfus confiliis, nifi abeuntē de fi-
nu veftro Italia excepiſſet, prouincia, & multipli-
ci ingeniorum varietate abundans, & in qua plu-
rimum poterāt ii, qui exiſtimabātur ab eo ſcele-
re, cuius quærebatur vltio, nō eſſe alieni. Vbi Ita-
liam Cæſar attigit, num Franciſcum ceſſaſſe pu-
tetis? num cepta poſtulatione deſtitiffet? At per-
ſtitit, appellauit, vſit: neque vnquam obteſtari,
rogare, hortari deſiit nunc per communes ami-
cos, nūc per legatos, & homines certos, qui apud
ipſum tanquam obſignatis tabulis agerent, futu-
ros rerum motus, ingruere bella, niſi fatiſſactum
eſſet, demonſtrarēt: qui Paulum Pont. Max. ap-
pellarēt, quò ius hac in re ſuum apud præſentem
Cæſarem tueretur: quum prius author (vt dixi-
mus) reconciliandæ gratiæ, & paciſcēdarum in-
duciarum fuiſſet. Quid, quòd ſimul ac ipſos Lu-
cam conueniſſe audiuit, diſertè iifdem denūtia-
uit, niſi breui de interfectis legatis, & violato iu-
re gentiū ſibi fatiſſactū eſſet, aut in culpæ autho-
res animaduerſum, ſeſe pacta irrita, violatas indu-
cias ex eo tēpore habiturū? Hoc erat amico inſi-
diari? hoc velle virum maximum, ſuum neceſſa-
rium nec opinātem aggredi? Cogitate quæſo a-
pud animos veſtros, Viri ampliſſimi, atque ante
oculos vobis hoc proponite, ſi ea mens fuiſſet
Francorū regi, ſi ea voluntas, Cæſarē incautum

implicatum, irretitū, opprimere: quod isti eum
voluisse faciunt: quando vnquam facilius potue-
rit, quàm tum, quum traiecit in Africam, eo for-
tunarū suarum discrimine, vt aliquando in Gal-
lia, in Italia, in hac ipsa Germania apud plerosq;
omnes, vel pro profligato, vel pro naufrago (vt
certè erat naufragiū passus) vel etiam pro extin-
cto haberetur? Quum Neapoli, Mediolani, Ge-
nuæ supplicationes ad omnes aras pro eius salu-
te (si fortè esset superstes) decernerentur? Quum
pro mœnibus vrbiū, pro stationibus, pro pro-
pugnaculis, qui vim hostiū, quacūque se osten-
disset arcerent, vix vlli inuenirentur: à plerisque
etiā Rex ad ea inuitaretur? Erat illi proculdubio
si honoris, si fidei obliuisci vellet, minus aliquā-
to futurū negotii, vel in suo repetendo, vel in in-
iuriis tunc persequēdis, quàm postea illo præter-
ito tempore, quod induciis constitutū diximus,
fuerit: tantūmq; intelligebat, in re altera sibi fo-
re impendii, quantū haud dubiè cōpendii in al-
tera fuisset. Igitur, vt vno tandē verbo absoluam:
quandiu abesse Cæsar dictus est Reip. causa, vel
quādiu aliquid fuit spei purgādæ absque pertur-
batione rerū ignominia, quieuit Rex, nec quic-
quā interea vel mouit, vel à suis moueri est pas-
sus: tametsi in hostem imparatū, impeditū, for-
tasse etiā exhaustū, ipse à viris, ab armis, à machi-
nis, à pecunia, quantum antea nunquam fuerat,

paratus & instructus esset. Quæ si ita sunt (vt cer-
tè sunt, & ita esse planum vobis fecimus) non vi-
deo quid iam aduersariorũ criminibus relinqua-
tur loci: nisi quòd de Turcis (vt superius attigi-
mus) ad diripiendã Remp. per nos inuitatis, tan-
topere vociferantur. Quo in crimine refutando,
si vobis vtemur tã benignis, quàm adhuc vsi vi-
demur, profectò vobis hoc recipimus, Viri opti-
mi, nos cum nostræ rationes innocentiaè facile
esse explicaturos, tum nihil vel alienũ, vel con-
fictum vel astutũ, vel denique ex vano haustum
huc esse adlaturos. In hac præcipuè causa, quam
sumus, quàm breuissimè fieri poterit, tractaturi,
duo nobis obiici videmus: Venisse cum Solyma-
no in fœdus, & belli societate: Tum eum ipsum
ad nos euocauisse, & in Vngaros, Germanosque
cõcitauisse. Quod ad fœdus attinet, licet hîc no-
bis, si volumus, cõmuni quodam omnium gen-
tium iure recepto vsque à parente illo Christia-
ni seminarii Abrahamo, paruo nos negotio tue-
ri: neq; nobis defuerit aut Davidis authoritas, aut
Salomonis, nec Phineæ, nec Tobiaè liberorũ, nec
denique ducũ Machabæorũ exempla: quorum
nemo, nec à prophanorũ hominũ commercio
in priuatis rebus, nec in publicis à rei bellicæ so-
cietate abhorruit, ne si quidẽ cum suæ religionis
hominibus bellum gerendũ esset. Taceo prudẽs
Christianorũ quorũdam exẽpla: ne mihi statim

obtrudatur, non ista eorum esse hominum, qui neque falli potuerint, neque voluerint fallere. Sed tamen licebit hic nobis opinor, ea quæ sunt aduersariorum veluti propria, & verè domestica, bona eorundem venia in medium adferre. Non Federicus secundus Imperator, Sarracenorum humeris in Italiam, vnde illum Pontificum auctoritas eiecerat, reportatus est? Non Luceriam eius gentis ingentem coloniam deduxit, cuius ope, ac potentia tum gentes finitimas compesceret, tum eos qui res novas molirentur, per vim in Romani Imperii fide, atque officio contineret? Sed non longè abierimus: non eorum sententia, qui iuris Pontificii (quod vobis credo est sacrosanctum) peritissimi sunt, licet iis quibus aliunde auxilium defuerit, ad impiorum opem, pro rerum sibi ablatarum vendicatione, confugere? Neque verò hæc dicimus, quò vobis hac in re vel opus sit veterum, recentiumve hominum patrocinio: vel quò nos eorum exempla sequutos esse, in ope ab impiis imploranda fateamur. Quinimo vt intelligatis, quàm planè, quàmque præcisè inficiemur: negamus Francisco Francorum Regi cum Solymano foedus vllum intercedere, intercessisseve, præter vulgare illud commerciorum, & quietis publicæ ergò: quale Venetis, Polonis, & aliis quibusdam Christiani nominis gentibus esse omnes scimus, vel quale à quibusdã maximis & præclarissimis

hoc tēpore viris appetitum, nec impetratū esse
audimus. Neque satis perspicimus quid in eo aut
à vobis, aut ab villo mortalium improbari debeat,
si foedus sanciuimus eorum exemplo quos pro-
batis maxime: si in eo sanciendo nemini nocui-
mus sed contra, vel aduersariorum confessione,
certe ipsorum rogatu, nonnullis profuimus: si ni-
hil clam, sed palam, sed in luce hominum: si ni-
hil precario fecimus, quòd ad id ineūdum simus
non semel inuitati, fortassis etiam (vt mox dice-
mus) coacti: si viris in Rep. principibus, neque re-
clamantibus, quum pramonerentur: neque in-
uitis, sed omnibus adprobantibus, plerisque etiā
suadentibus. Et fieri quidē possit, vt non ad om-
nes, qui hīc adestis, omnia hac in re Francorum
Regis cōsilia peruenerint: (estis enim prohibiti)
sed quicumque ex hoc ordine estis, quibus eorum
cognitionem, aduersariorum impotētia adime-
re non potuit: vel quos, adempta adhuc facul-
te, cognoscendi tenet cupiditas: facite pro vestra
benignitate, vt rerum prateritarū apud vos pau-
lis per versetur recordatio. Inde vtrique conseque-
mur, vos vt cognoscere possitis quid inter male-
dictum & certum crimen intersit: nos, vt nostri
apud vos tam solícite purgandi vitemus necessi-
tatē. neque enim ad rem mediocriter pertinet,
intelligere vos, nihil in causa hac omni Turcica
Regē Christianis. molitū esse vnquā, nihil ges-

fisse, nihil tractasse, cuius antè, quàm quicquam
vel gereret, vel moliretur, vel tractaret, aut fre-
quèter hosce amplissimos sacri Imperii ordines
non admoneret, aut sententiam communiter
omnibus suam, singillatim autè iis, ad quos adi-
tus suis legatis patuerit, non diligentissimè, atque
amicissime aperiret. Extât credo per vniuersam
Germaniam (vt multū suppressa sint) non vna-
rum ad ipsos Imperii ordines exempla literarū,
quarum in quibusdam demonstrabat, vt Soly-
manus fœdus, vt amicitiam, vt opem sibi vltro
detulisset, quum essent qui eandem magnis obla-
tis conditionibus ambirent, eiusque vellent esse
in clientela: vt idem postea Solymanus eadem il-
la, sed ampliore argumento iterum, ac sæpius re-
petisset: vt sedemum dubitationi locū relinque-
re nolle pronūtiasset: Franco vel pacato iam sibi
vtendū esse, vel aperto hoste, nihil esse tertium.
Hanc sibi imponi respondendi necessitatem, Rex
aliorum minimè securus, quum vobis significaf-
set, iisdem videre licet exemplaribus vt vos sta-
tim interrogarit, velletis, cuperetis cōmunes se-
cum inducias honestas, vestri otii, & retinendæ
dignitatis gratia, cum hoste, qui vobis immine-
ret, pacisci. Quæ quum ad vos serio, neque semel
tantū scripsisset, dicimus aliis subinde literis, vo-
bis eū ostendisse, vti ad eiusmodi demū inducias
cogeretur, nisi orā suam omnē maritimam, quæ

latissime in Narbonensi Gallia pateret, hinc vicino minime pacato exposita esse vellet, illinc hosti supramodum nautico apparatu instructo. Dicimus præterea Regem, quæcunque prioribus literis vobiscum de communicandis induciis egerat, eadem his postremis iterum detulisse: vobisque Ordines amplissimi. tam crebro quam hinc recitauimus admonitis, tum denique de induciis cum Solymano transigisse. An hoc per Deum immortalem, fuit Solymanum in vos concitare? an cum gente Turcarum de Christiani nominis pernicie pacisci? Vestram hic conscientiam appello, ordinis istius Amplissimi principes, atque delectissimi consiliarii, si quicquam in hoc facto est, quod Regi Christianis. sinistra vilius suspicionis notam inurat, qui & ea egerit, quæ sibi erant necessario agenda, si consultum vellet suorum saluti, & rationem vestri habuerit, qualem eum habere oportuit, qui foederatorum quieti vellet consulere. Tum hoc magnopere à vobis postulo, ut redeatis in memoriam eorum, quæ iis malis in quibus hodie, quod ad rem Turcicam attinet, versamur, causam atque originem dedere. Scitis ut illa nunquam factis deploranda de regno Vngariæ controuersia, principio Solymanum in Vngariam ipsam, mox in Germaniam quoque immiserit. In hac sedanda controuersia utinam tantum, Viri optimi, Regis Christianis. gratia apud partium al-

teram valuisset, quantum apud se valituram esse altera præ se ferebat. Nam si sunt qui adhuc dubitent quantum in ea pacificanda curarum, quantum laboris impenderit: si neque literis, neque chi rographis, quæ permulta sunt, fides habeatur: at certe Legatis vltro citroque frequenter missis, quorum nunc etiam nonnulli sunt superstites: at viris quibusdam in Rep. principibus, quin & Regibus quoque aliquibus credi oportet. Et Rex quidē Christianis. tametsi non tantū se interdum, ac volebat, proficere videret: nō tamē facile vnquam despōdit animum, nec destitit initiis illis, quandiu postea valuit ipsius apud Ioannem Regem authoritas, cōmonefacere, precari, hortari, denique omnia facere, quò eius animum ad Solymanum (vt videbatur) respicientem inde auerteret: & auertit non semel, tandiūque in officio retinuit, tum sua, tum Pontificis Clementis, tum illustri Regis Britāniæ opera, qui in id quoque incumbabant maximè, quoad necessitas (cui dicebat ille ne deos quidē immortales repugnare posse) Regem miserū, ac calamitosum ad extrema omnia descendere coegit. Itaque descendit, vt vidistis, Solymanūque Rege Christianis. partim inscio, partim reclamante, ad ferendam sibi opem asciuit. Quæ postea sunt consequuta viuo Ioanne, postea etiam mortuo, vendicāte sibi regnum per tutores pupillo infante,

tã libenter omittimus, quàm cætera quoque (si
liceret) prætermitteremus. Hoc quidem certè
quod sequitur, quia de eo mēdacii sumus in simu
lati, præterire silētio sine scelere non possumus:
Quòd Solymanus & Vngariã rursus inuasit, &
vexauit Germaniã, ipsum esse solitũ vni Tune-
tanæ expeditionis iniuriæ acceptũ referre, affir-
mantẽ contra promissorũ religionẽ, suos hostes
id bellum suscepisse. Verũ earũ rerũ sit penes
authorem fides: cõstat certè Solymanum id di-
spersis quam latissimè per orbem terrarum lite-
ris testatũ reliquisse: quũmq; regii apud ipsum
oratores, pro suo in Remp. officio, hominem ab
instituto reuocare omni studio contenderent,
vna illis expeditio Tunetana semper obiecta est,
cuius ignominiam diceret se salua existimatio-
ne ferre non posse: quæ tantum in suam contu-
meliã, nec in nostræ religionis propagationem
excogitata susceptaque esset. Neque verò hæc in
eam partẽ accipi velimus, vt nos existimetis vel
bellum illud Africanũ, aut si aliud quoduis Chri-
stianæ dignitatis causa susceptum sit, improbare.
Nam si ea mente fuisset Franciscus vt improba-
ret, illud idem adornãti, opẽmque aduersus So-
lymanum implorãti Cæsari peditum quinquã-
ginta milia (quorum pars maxima esset è vestra-
tibus) equitũ milia sex cum vi tormentorũ in-
genti ad eiusce belli societate nō detulisset, vti &

eo tempore liberaliter detulit, & insequēte anno per nosmetipſos Romæ in Pontificio illo ſenatu iterū, & ſæpius cōfirmavit. Nec mirū videri debuit, ſi is faceret iis rerū motibus, qui ſæpe antea, tū per ſeipſum, tū accepto in partē eius muneris Rege Anglo, qui libēs ad id ſerebatur, idem ſe facturū, non ita valde neceſſario tēpore recepiſſet. Non igitur adhuc Frāciſcus Solymanū in Germaniā pellexit: nō in veſtra reiꝑ; publicæ viſcera eius accitu hoſtis graſſatus eſt. De reliquo tēpore nūc eſt dicendū. Ad hanc rem autem diligenter quaſo animos veſtros, Viri ſapientis. attēdite, vt eā verè, perſpicuè, exactèque cognoscere poſſitis. Præter Pānonicas expeditiones reliquas, vnā Solymanus ſuperiore ætate ſuſcepit: aliarū culpæ ſat oſtendimus nequaquā nos eſſe affines: quare ſuprema in nos tranſſeratur potius, cauſæ nihil eſſe dicimus. Nam quod aiūt miſſum Rinconū in Orientem, qui apud Othomanū hanc cōtenderet: nō cōfecit tamē. At enim ſi in itinere non eſſet interfectus, confeciſſet: quis hoc diuinare poſſit? Quid ſi hoc dixero, & verè dixero, & vobis hīc profiteor eſſe veriſſimū, habuiſſe in mandatis, vt prohiberet, vt omni & Regis, & priuata ſua gratia cōtenderet, quò à Germania, ab Vngaria, à cunctis Reip. Chriſtianæ finibus ſe abſtineret: alioſum impetū omnē belli, ſi tāta armorū flagrabat cupiditate, cōuerteret? Redarguant ad-

uerfarii si mentiar, quod sanè sit illis facillimū.
Nec enim homicidas illos arbitror, quū de eru-
cidatis Legatis nuntiū adferrent, in mādati, qua
Legatis à Rege discedentibus scripta, signataque
data essent, reddendis, negligentes fuisse. Et pro-
fectò quoscunque indices de miserorū nece ad-
huc habuimus (habuimus autē multos) eosdem
de interceptis ipsorū mandatis, ac literis habui-
mus. Neque si nō habuissemus, esset tamen cre-
dibile, quū vestem, quum torques, quū annulos,
quum ipsam animā eripuissent, cui rei præcipue
insidiabantur, quam maximè petebant, mādata,
litteras, cōmentarios, ei rei sponte sua (quum ne-
mo esset qui intercederet) homines verecundos
scilicet pepercisse. Quo magis istorum admiror
improbritatem dicam, an perfidiam: qui quū hac
ita esse sciant, quum apud se habeant, tamē non
proferunt, non fatentur: patiuntur autem istos
interim principes de Rege affine, & consangu-
ineo suo male existimare: vos ipsos, aut vestrum
aliquos in eodem forsitā errore versari. Obiciat
nobis hīc aliquis Paulinum Regis ministrū, qui
Rincono in ista Legatione successerit, apud AEno-
barbum præfectū classis Turcicæ fuisse cōspe-
ctū: permagnam inde suspicionem colligi, quod
venerit AEnobarbus, id Regis opus fuisse. De
Paulino mox dicemus. De classe vnum est, quod
vestris animis omnem facilè suspicionem deter-

gat. Scitis opinor quantus noster terrestris exercitus anno superiore agrum Ruscinonensem, ad maris Hispanici orā ingressus sit, utique ibi Parpinianum obsederit. Quod re infecta domum redierit, omnes existimant in causa fuisse vires Cæsaris maritimas, quibus nostra classis erat inferior. Si de AEnobarbo Rex cogitauerat, si accersere voluerat, quando potius accersere debuit, quàm illo tam necessario tempore, quo per eum maris imperium hosti adimere potuit: at constat, tunc non fecisse. Dicat aliquis, accersisse sane, sed ut eo anno veniret, efficere non potuisse. Quid tam sit ridiculum? Nam si in annum insequentem expectabatur, quod sciri oportebat, nō Regem putatis in eundem quoque annum illos Ruscinonēses conatus dilaturum fuisse? Sed non distulit, sed classem Turcicam non expectauit, neque posteaquam anno insequente ea venire dicta est, insignem vllum apparatus terrestrem, cum illo maritimo (quum facile posset) coniunxit. Relinquitur ergo ut non accerserit, ut quidem non accersisse, & nos hīc asseueramus: & quò exaudire omnes facilius possitis, clarissima voce profitemur. Nunc de Paulino est respondendum. Fatemur successisse Rincono, fuisse in classe AEnobarbi: ipsum per mare nostrum nauigantem ab vsque Thracio Bosphoro prosequutum esse. quid multa? etiam hoc addemus (si placet) cū

ipſo nonnullis de rebus nonnulla conſilia, ſed ea optima, ac ſalutaria cōmunicaffe. Nec enim Rincono interfecto noluit Franciſcus ſuum morem retinere, qui ab omnibus probaretur, in quo vel veſtros Cæſares imitaretur, de Legato apud Otho manum habendo. Miſit igitur Paulinum: nec ita repente miſit, dum in it apud ſe rationem, quomodo ſitim iſtam inexhauſtam, & redundantes ſuorum Legatorum ſanguine gladios, aliqua ludificatione fruſtretur: quæ mora vtinã non eam attuliſſet iacturã Reip. dum interim nemo apud Solymanum eſt qui vel ipſam Remp. (quod Rinconum facturum fuiſſe diximus) ſapienter tuendam ſuſcipiat, vel animum mitiget hominis, de interfectis, qui ad ſe mitterentur Legatis, accenſi. Hic Paulinus igitur, poſtquam aliquando ſenſit parum illic ſibi eſſe negotii, bellũ hinc terra, marique aperte geri, commerciis quæ in AEGypto, & Syria nobis eſſent, per Cæſarem, qui mare Liguttiſicum, Sardoum, Siculum obtineret, facile interdictum eſſe: AEnobarbum naualem apparatus in prouincias Cæſaris moliri: pro magno habuit, poſſe huic ſe comitem adiungere. Itaque adiũxit, ab eoque uſque dum appulit Maſſiliam, ne veſtigium quidem diſceſſit. Hoc puto minime à viris bonis reprehendendum, illud verò etiam commendandum, quòd quacunque nauigauit AEnobarbus, factum eſt Paulini diligentia,

ac fide (qui ad istius apparatus famam id erat curare iussus) ut quaecunque littora quascunque oras ille attingeret, dempto tantum hostico, manus ab omnibus abstineret. Quòd verò in Niceæ obsidione, quæ post paulò consecuta est, isti tantopere de nobis triumphant, audite quæso ut se res habuerit, nihil enim affingam: nec recens modo est, verùm & præsens quoque eorum, quæ dicturi sumus, memoria. A Enobarbus ubi primum mare Ligusticum ingressus est, nihil habuit antiquius, quàm ut Andream Auriam Casarianæ classi præfectum, qui secum de rei naualis gloria certare vellet, opprimeret. Igitur hominẽ omnibus tanquam vestigiis persequitur: ubi videt consequi non posse, ait cõstare sibi rationem quomodo Niceam occupet, arcem, quod nemo nescit ad Imperium maris Ligustici maximè accommodatam. Id Griniano viro prudentissimo, qui pro Rege nostræ prouinciæ præerat, demonstrat: rogat ut quandiu in arcis obsidione distineretur (quam si occupet, sibi habere velit) loca mediterranea interim tuta sibi præstet ab omni hostiũ iniuria: aut si malit Grinianus munus obsidionis in se recipere, pollicetur ipse vicissim sese, qui classe valeret, omne maris periculum præstaturum, neque impediturum quominus capta à nostris Nicea Rex Christianis potiatur. Quid obsecro vos, Grinianus faciat, homo tum pius,

tum minimè ad insidias apertus: patiatur munitissimum maris Ligustici propugnaculum, quod vetus sit patrimonium Regis, indubitatumque, vbi sit portus mille nauium capax, quò possit, quoties necessitas ingruat, Othomanus nominis Christiani hostis, naues, viros, arma, commeatum in supplementum ab usque toto AEGæo mari, & AEolico mittere, venire in AEnobarbi potestatem: Nonne in hac Niceæ obsidione, quæ à nobis eo nomine suscepta est, vt culpa aliqua fuerit (quæ tamen nulla fuit) fatius erat nos & obsidionis tædia, & pericula oppugnationis subire, cum nonnulla spe eius expugnandæ, quàm spem eandem, qualiscunque ea esset, AEnobarbo relinquere: Atenim neutrum faceremus: arceremus hominem ora nostra maritima: igni, aqua, tellure interdiceremus. Licebatne eum arcere, qui pacatus & minimè hostis, ipso induciarum tempore veniret: & ita veniret instructus, vt prohibendi non esset facultas, quum in apparatu nauali pares illi esse non possemus? Fuisset hoc extremæ amentitiæ, quum illo in mari inferiores aliquanto sint nostræ opes, vel vnus Cæsaris opibus, Othomanum insuper nobis ad rationem inimicitarum adiungere. Quare negamus in hac obsidione quicquam esse à nobis commissum in Christianam Remp. in nos quidem ipsos à nobis peccatum esse facile fatemur. Nisi enim Reip. in auertendo

ab oppugnatione AEnobarbo tam studiose prospexissemus, iactura à nobis tanta facta non esset, quantam virorum, armorum, com meatuum fecimus. Neque est aliud quod ea in re nobis præterea obiici queat, nisi tritum illud, & iam toties decantatū, quòd arma cum prophana gente aduersum Christianos (hostes quidem illos, sed tamen Christianos) communicauerimus. Verūm id quàm innocenter, quàm moderatè, quàm religiose, superius vobis exposuimus. Quanto amicorum beneficio, testis est Italia propè omnis, quæ prætereuntem AEnobarbi classem tantūm de littore salutauit. Quanto etiam inimicorum, Genuenses in fidem quodammodo Cæsaris recepti, tamen ipsi quoque fatentur. At licebit hîc, credo, per vestrâ modestiam nobis in causâ defensione, optimæ quidem, sed forsitan apud vos propter inimicorum calumniam dubiæ, id vsurpare, quod vel in maximè aperta causâ nemini vnquam vitio datum est, vt vel clauū clauo truderet, vel suum factum de aduersarii facto iudicibus probaret. Obsecro igitur vos, Viri perspicacissimi, vter magis reprehendendus est, isne, qui quum iustissima arma ceperit, in eis armis exercēdis milite barbaro, nō in rem militis, verū in suā ipsius vsus sit: an is qui generi hominum eidem, barbarorum scilicet, in causa armorum longè dissimillima ipsorum commodo militauerit? vter

magis culpæ obnoxius, isne qui in suo repetendo
suorum, hoc est Christianorum sanguini peper-
cerit, alienorum periculis sua pericula texerit: an
is qui alienissimarum gentium gladiis Christia-
norum vitam pro homine maximè, & à religio-
ne & à fide alieno, obiecerit? Si qui hæc fecit, non
reprehenditur, imò si omni laude à suis fautori-
bus cumulatur: vos æquissimi causarū, ac rerum
æstimatores, saltē hoc dabitis alteri, vt de suo fa-
cto illo minimè reprehendatur? Verùm hæc no-
lite existimare, Amplissimi ordines, nos perstrin-
gendi Cæsaris gratia, quem honoris causa nomi-
namus, in medium proferre. Neque enim si pro-
ferenda nō essent, si suppressa ea ipse duceret,
Africanam illam expeditionem, quam pro Rege
Tunetano eū suscepisse vidistis, inter res à se præ-
clare gestas locum sibi vindicare sineret: nec in
reditu, aut urbem terrarum dominam ouans in-
gressus esset, aut ab urbis eiusdem principe omni
exquisitissimo apparatu excipi voluisset. Quod
ad Regem Christianis. attinet, equidem non du-
bito quin sit facilè passurus factum illud Cæsa-
ris, vel in cælū, si ita placet, extolli: modò sibi ab
ipso interim cōcedatur, suum vicissim minime,
vti ab imperitis sit, vituperari. Nā quid tandem,
Viri nobilissimi, Rex ista rerum perturbatione fa-
ciat? Bellū ab ipso necessarium geritur cum prin-
cipibus totius Europæ longè potentissimis, & iis

principibus, qui non dissimulēt, quinimo (quod vos scitis) palàm profiteantur, nunquam se con-
quieturos, etiam vt Germaniæ omni pereūdum
fit, donec funditus hominem euerterint: vt inte-
rim taceam consensum illum regulatorum, ciui-
tatum, conuentuū, qui quia vnus auctoritatem
sequantur, in eandem Regis perniciem ex illius
decreto coniurauerūt. Hæc quum ita sint, videte
quæso quàm iniuste, quàm nullo aut veterū, aut
recētium exemplo nobiscū agatur. Regnū illud
Francorū florentissimū, nobilissimū, firmamen-
tum, quandiu à finitimis vexatum non est, Reip.
Christianæ, vobis, Proceres Germani, vetusta ne-
cessitudine, & propria quadam, vt sic dicam, ger-
manitate coniunctum, hoc tēpore, hoc inquam
tempore, à fronte, à tergo, à lateribus, ab hosti-
bus infestissimis petitur, obsidetur, vallatur: no-
bis ad ferendos tantos, & tam incredibiles impe-
tus non satis est militum domesticorum, pro-
pterea quòd plebē Gallicā maiores nostri agri-
culturæ magis assuescere, quàm rei militari vo-
luerunt. Itaque pedite extero nobis opus est, vt
multis antè seculis opus fuit, quoties bellū ma-
ximum gerendum fuit. Hoc Cæsar qui sat cogni-
tum haberet, proposuit edicta (vt leuissimè di-
cam) seuerissima, nequis Germanus miles Frāco
militer: qui militauerit, capite luat: cū vxore qui-
dem, ac liberis mitius aliquāto agatur: Italis au-

tē, quòd ferè his nitamur duabus nationibus, pœna propè confimilis inffigitur: quicumque aut in Galliam, aut in quascunque Regis ditiones patēt militi aditus, omnes magnis diurnis, nocturnisq; præfidiis circumsepsit: quicumque in itinere deprehēsi adhuc sunt, trucidari omnes iussit: neminem ad Regē penetrare, quoad potuit, fuit. Ediuerso gentem quam vt prophanam, atque impiā decennium ferè est execratus, nunc posteaquam sese in nos incitari passa est, ad militem euocandum, ad Germaniam in vestro conspectu omni iuuentutis robore spoliandam, summis præmiis inuitat. Neque interim licere nobis vult omni Europæ ope, atque auxilio exutis, aliunde neque ex Africa, néve ex Asia militem euocare: si euocauerimus, sceleratos, impios, intestabiles pronūtiat. Deus immortalis, quæ lex grauior feratur, quæ atrocior pœna statuatur, quàm quæ in nos statuitur, aduersus eum, qui victus, qui proffigatus, qui bello captus vitam precario agere cogatur? Si & noua ista plusquā imperatoria aduersū nos edicta locū habeāt, & omni externa ope nihilo secius excludamur, quid nobis denique fiat: quid miseris, & infelicibus Frācis cognatis vestris supersit, nisi vt ferreis manicis vincti, cōpedibus adamātinis obstricti, iugulū irato hosti hauriēdū, ceruicē victori, quod ipse iā præ se fert, implacabili feriendam præbeant? Maiores vestri, Viri

F.

præfātiffimi illi, sæpe pro iniuria arcenda, nonnunquam & pro vlciscenda, non dubitauerunt gentes, non modò prophanas, & à religione abhorrentes, sed exleges, sed impias, sed efferatas, in homines & Christianos, & aliquando morū sanctitate claros, magnis ad se pollicitationibus, quū tamen aliorū ope nō excluderentur, allicere. Sic Federicus AEnobarbus homines impios, eosdē alter Federicus, cuius suprā mentionē fecimus, sibi in auxiliū assumpsere: idē ante hos fecerant Honorius, Constātinus Constantis parens, Theodosius iunior, Iustinianus secūdus, Paleologus, Leo, omnes Imperatores, & pii, & à bonis omnibus optimi habiti. Possem adducere Hispaniarum Regem Maurogatum, & earundem Iulianum facile principem, alios item viros pios, qui aliis locis vel regnarūt, vel imperitarunt: sed eorū malo vobis exempla proposuisse, quorum existimatio iustius sit ordinis existimationi coniuncta. Ne Carolus quidem ille ob res in Rep. gestas, Magni cognomentum adeptus, vestri huiusce Imperii idē author, & propagator, hoc exemplo interdum abstinuisse traditur. Nos, vt maledictum, quod in nos hoc nomine cōfertur, aduersariis cōcedamus, minus tamē vestris Imperatoribus fecimus. Inducias cum Solymano, honestas tamen, & nemini perniciosas, à viris maximis ambitas, bona vestra venia, qui sæpe à nobis sententias (vt ita di-

cam) rogati non improbaueritis, pacti sumus. Eidem aduersum hostem communem nostrū bellum gerenti copias nostras quasdam, & triremes paucas ad menses aliquot, tum in nostri patrimonii vendicationem, tum vt hac via Reip. caueretur, adiunximus. Si vobis, Viri præclaris. ea re digni videmur, quos communi vestra amicitia, antiquo vestro fœdere arceatis: quorū principem Regem Christianis. ex hoc ordine, cui iure adnumerandus est (nam dux Mediolani est, pro eiusque repetitione fidē vestram sæpe implorauit, sæpe Senatū, quo omnis controuersia à vobis ipsis decideretur, sibi dari petiuit) si inquam æquum videbitur, vt quemadmodum ab aduersariis de Mediolani possessione, ita à vobis de ordinis istius dignitate eo nomine Rex Fræcorum deturbetur: multū proculdubio maiorū vestrorum, quos cōmemorauimus, dignitati, multū illorū memoriæ, quæ sancta vobis esse debet, detrahetis: magnā denique apud omnes mortales perfidiæ notam illorū nomini inuretis. Quo scelere ne eos obstringatis, nève illa labe perfundatis, qua vos quoque pro ea persona, quam in huius amplitudine Imperii sustinetis, si id fiat aspergamini, vestræ grauitatis est, Viri prudētis. vestræq; sapiētiae prouidere: neque id tantū prouidere, quod est tamē maximū, vobisque, & huius maiestati loci pernecessarium: verū id quoque, ad quod nostræ

orationis vos hortabamur exordio, vt memineri-
tis quo in statu Resp. Christiana sit, vt ægrotet, vt
angatur, vt iaceat, vt medicinam aut à vobis hoc
tempore, aut aliunde nullã expectet. Quod præ-
terea sumus polliciti, vt vi omni, ac ratione mor-
bi explicata, nonnulla proponeremus quæ & ad
vestras istas cogitationes pertinerent, & ad me-
dendi rationem non vulgare quidpiam adferret:
ea videlicet Regis Christianis. verbis vobis pro-
ponimus: vt si in retinēda Germaniæ, Imperiique
istius dignitate partes ipsius esse aliquas iudicabi-
tis: si in sananda Rep. in tollendis de medio con-
tentionibus ipsum posse aliquid putabitis, vt qui-
dem certè videri debet posse plurimum, cogite-
tis ipsi, quid super iis rebus ab aliis fieri oporteat
potissimum, quid ipse præstare queat, quid effice-
re suo omni officio, honore, existimatione, quã
imminutam, aut ab amico neglectam esse noli-
tis. Faciet enim vt intelligatis, ipsum, & vestrum
de rebus omnibus maximis, mediocribus, mini-
mis iudicium plurimi fecisse: & quominus quie-
ta, florentique Rep. frui possitis, per se minime
stetisse. Aut si parum existimatis generatim hæc
proponi vobis, nisi speciatim aliquid exproma-
mus, quod magis vestræ expectationi respōdeat:
ineatur, Sanctissimi ordines, apud vos ratio quo
modo funesta belloꝝ seminaria illa, quæ to-
ties referre piget, de medio tollantur, hoc est pa-


tiatur, qua est animi in vos propensione Cæsar, aut vos à se hoc impetrare, aut ipsam Rempub. vt quarū rerum in possessione versatur, ad Christianissimum Regem pertinentium, vti quæ optimo iure, sed vnde casibus, vt sæpe audistis, deturbatus est, sibi illis rebus vti frui per Cæsarem liceat, eisdemque ipso tradente obtineat, vt sanè ipsorum vtrunque, suum obtinere, neutro impediante, æquum est. Hoc si fueritis assequuti, eadem opera effeceritis vt Rex communicatis inuicem, quod aiunt, fortunæ euentibus, vires suas, opes, facultates, vitam denique ipsam ad Germaniæ quietem, ad vim omnem externā, quæ ei inferatur, arcendam, repellendamque, libenter vobiscum, & bona fide coniungat. Quo beneficio haud scio an maius aliud aut Germanica natio à populo omni sibi necessitudine coniuncto expectet, aut vobis, Amplis. ordines, quicquā proponi à quoquam queat, in quo aut dignitas vestra magis acquiescat, aut vestra libertas. Quid enim quod in posterum ab omni gentium exterarū tumultu cōiunctis semel Galliæ atque Germaniæ viribus pertimescatis? aut quæ est natio quam sol aspiciat, quæ vobis vim adferre cogitet, si intellexerit, eisdem in castris esse, iisdem sub signis militare, eidem parère imperio, hinc Germanici peditatus robur incomparabile, hinc florentissimas equitatus nostri, & Francæ nobilitatis co

pias: Vel quid est quod de vobis cogitaturus sit
quantūcunque formidabilis hostis, si tantum au-
ditu perceperit Francos, atque Germanos, quæ
gens aliquando eadem fuerit, nunc repetita me-
moria prioris ætatis, iterum in vnam veluti stir-
pem coaluisse, copias, opes, facultates, vires com-
munis salutis causa in vnum contulisse? Quum
autem maiores nostri (Germanos dico, ac Fran-
cos) non ita multis seculis Thraciam, Macedo-
niam, Cappadociam, Græciam omnem, omnem
Asiam, Syriam, Armeniam vtranque, ipsam AE-
gyptum (quæ prouinciæ partim ab infidis sociis
tenebantur, partim ab infestissimis Christiani
nominis hostibus occupabantur) anni prope v-
nius, & alterius spatio, vel debellarint, vel ad suã
authoritatem adiunxerint: Persarum, Medorū,
Parthorum tyrannos toties fuderint, quoties il-
li in aciem prodire ausi sint: plus sexcenta milia
hostium & sempiternorum, & in bellis exerci-
tatissimorum plerūque parua manu, præliis sem-
per maximis ceciderint: eundem victoriæ ter-
minum, quem sui progressus, ac voluntatis fe-
cerint: nos eorum soboles, si causam, si arma, si
pericula, illorum exemplo inter nos communi-
cauerimus, si vni Imperatori CHRISTO vna-
nimes, alacres vnà militauerimus, erit credo ve-
rendum, ne minus foelices simus in aris ac focis
nostris tuendis (quod vos tantum cogitare audi-

mus)quàm illi in aliorum inuadēdis fuerint? Nisi si qui fortè sunt, qui vel nostris exercitibus imperatores desiderent, vel in imperatoribus fortunam: sed si qui adhuc sunt, qui de ea re dubitent: ii profecto neque satis intelligunt qualem Imperatorem Germania habeat, qualem Regem Gallia, quàm sapientes, quàm fortes, quàm & foelices, & rei bellicæ peritos: quorum ducum apud ipsos consilia valeant, qui flos iuuentutis, quæ liberorum propago illis succrescat: quorum liberorū in aliquibus paternarum laudum, gloriæque æmulatio haud obscura iam appareat: in aliis, quibus nondū ætas id concessit, tamen indoles quædam elucescat clarissimæ virtutis. Sed eorum bonorum, quæ commemorauimus, quietis istius, quam proposuimus, tãtæ ac tam indubitatæ spei fructus ad vos vt perueniat, in vobis ipsis situm est, Amplissimi viri atque sapientissimi. Neque enim si ita vt debetis, in negotium hoc incubueritis, existimo Cæsare (de cuius egregia in Remp. volūtate dubitare nos vetat congruens factis ple risque assidua eius, & quotidiana oratio) non inquam existimo Cæsarem illa quæ si tantis comparentur rebus, pro nihilo habeantur, quum iuste, quum religiose, quum hoc loco petieritis, non libertati vestræ, non Germaniæ quieti, non Christiani nominis saluti esse condonaturū. Accessimus proxime ad vestram de nobis spem, Vi-

ri optimi, nisi forte etiam eam superauimus, quū
vltro Regis Christianis. verbis (sic enim in man-
datis habebamus) ea vobis detulimus, quæ forsi-
tan eratis verecūdius ab illo postulaturi. Nihilo-
minus, quoniam ad aliquid de morum quoque
constitutione, & concordia religionis audiendū
ipso vos orationis exordio erexisse videmur: pau-
ca hīc quādā ea de re subiiciemus. Scitis vt Rex
Christianis. tum pietate animi quadam, tum sua
in vos adductus beneuolentia, nullum adhuc tē-
pus intermiserit vestri rogandi, obsecrandi, mo-
nendi, quo tandem aliquid siue inter vos ipsos,
siue cōmuni suo, vestroque consensu constitue-
retur: vtque apud quosdā ex hoc ordine illustres
viros, non vno in conuentu, nec modo eodem,
nunc per literas, interdum per oratores sua om-
ni ratione id insinuauerit: denique vt illud idem
ab cunctis Imperii ordinibus, Essingæ, Vormæ-
cia, Haganoæ, atque hoc ipso in loco persæpe, nō
contenderit modo, verum efflagitauerit, suaque
ad vnum id omnia detulerit. Nunc quum eadem
tempestate, iisdem seditionum procellis, illis flu-
ctibus schismatum agitetur Respub. Christiana,
quibus tum agitabatur: prospicite animis vestris,
Viri prudentissimi, num vel Regis eiusdē opera,
vel industria eorum, qui ipsius fidem atque au-
thoritātē sequuntur, vobis opportuna videatur,
aut necessaria. Quæcunque enim Rex pius, & a-

amicus, vel in vniuersum omnibus, vel singula-
tim aliquibus adhuc alibi super ea re detulit, quæ
videntur esse maxima, eadem ipsa, animi affectu
eodem, iisdem verbis deferēda hîc vobis putauit.
Pro quo singulari in vos suo amore, inque ma-
iestatem ordinis istius vetere sua obseruantia, si
vicissim eo ipsum loco habueritis, quo amicum
fidum, vicinum pacificum, charum fœderatum,
ac consanguineū haberi oportet, maximam exi-
stimabit sibi vos gratiam retulisse.



amicus est in vultum omnium et in
tunc aliquid sicut aliquid se
vident tunc in vultu et in
colora vultu vultu dicitur
I. et duo in vultu et in
tunc in vultu et in vultu
vultu et in vultu et in vultu
tunc in vultu et in vultu
et in vultu et in vultu et
tunc in vultu et in vultu et

.9.